



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119177**

§. 59. Acris quorundam oppositio contra Facultatis deliberationem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

Sæc. XVII.  
A. C. 1649.

§. LIX.

*Acris quorundam oppositio contra Facultatis deliberationem.*

*Paix du  
Clement  
Abrege de  
l'hist. Eccl.  
t. 3. p. 457.*

Postremæ hæ duæ Propositiones eo adhuc tempore communis oppositionis scopus haud erant, acrius autem contradicendi studium efferbuit circa priores quinque assertiones præcipue illas, quæ Dei gratiam impetebant: Molinistæ enim horum damnatione suam opinionem tum firmiter stabiliri sperabant, & deinceps omnes Scholæ, ut eo remotiores ab hujus erroris periculo essent, ambabus ulnis gratiam hominis arbitrio subjectam adoptaturæ essent. Hi autem, qui se Divi Augustini Discipulos dicebant, minus doctrinam in his propositionibus contentam propugnandi, quam Jansenium, cui hos errores falso imputari autumabant, vindicandi studio, Facultatis judicium præpedire, magna animi contentione certabant, hancque in rem varia vulgabantscripta, ex quibus præcipuum erat, quod Bourzeyus Abbas sub titulo: *Propositiones de gratia præpediem in Sorbona examinandæ* edidit. Aliud Arnaldo fuit attributum, cujus inscriptio hæc erat: *Considerationes in Corneti Facultatis Syndici molimina coram*



*ram confessu diei primæ Mensis Julii.* Sæc. XVII.  
A. C. 1649.

Postquam vero innotuit, quod novem illi Doctores nuper assignati præfatas propositiones censura notandas esse conclusissent, nilque propius esset, quam ut die prima Augusti in proximo Facultatis confessu censura confirmaretur, Loyselius Universitatis Cancellarius huic Congregationi præesse postulabat: inde autem exorta ceterorum oppositio negotii principalis successum præpedivit: interea vero Sant-Amoreus apud Senatum Regium adversus Syndici accusationem, necnon Decani sententiam, & Doctorum examen ac iudicium reclamabat, suamque appellationem die secunda Augusti Sorbonicæ Congregationi insinuabat, cui illico sexaginta alii Doctores accesserunt. Nihilominus Doctorum censura Mense Septembri ad medium vergente edebatur. Deputati tamen id se insciis factum declararunt, & Senatus Regius censuram promulgari, hacque super re disputari, aut libros in vulgus spargi inhibuit, donec controversia auctoritate publica decideretur, vel a Regis Senatu aliter decretum fuerit. Paulopost die prima Octobris Franciscus Hallierus ad Syndici officium electus fuerat, mox igitur Sant-Amoreus veritus, ne novus hic Syndicus Nicolai Corneti Prædecessoris



Sæc. XVII A. C. 1649. sui, qui a suo munere liberari petiit, obtinuitque, vestigia premeret, adjunctis sibi septem aliis Doctoribus, adversus illius electionem apud Regis Senatum reclamabat, caussatus, quod Hallierus Patris Cornelii a Lapide commentarium, in quo hic Auctor Ecclesiæ potestatem in temporalia Regum stabilierat, approbasset: Hæc accusatio tanti momenti credebatur, ut mox Senatus decreto Hallierus prohiberetur, ne Syndici Officio fungeretur, donec de præfato commentario iudicium fuisset pronuntiatum: cum ergo Facultatis Theologicæ Doctores ex hujus causæ primordiis adeo turbidis nil nisi fastidiosam tumultuum seriem prospicerent, hac super re interim supersedendum ac de tutiori remedio deliberandum esse, decreverunt, id suadentibus Chastelleinio Doctore & præcipue Moleo primo Curix Præsidi, qui hoc negotium ad amicam transactionem remitti voluit.

## §. LX.

*Hallieri vindiciæ contra imputatam  
Commentarii approbationem.*

*Argentre  
Coll. Jud.  
t. 3. p. 58.*

Quoniam vero Sant-Amoreus, ut Hallierum a Syndici officio arceret, inter alia præcipue urgebat, quod ipse